

possessionibus et rebus aliis iniuriantur eisdem, ideoque discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decides faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, proviso, ne in terram dicti nobilis excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi a nobis super hoc mandatum receperis speciale. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Laterani X. kal. Februarii pontificatus nostri anno prima.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

No. 191. 1306. 21. Febr.<sup>1)</sup>

*Der Probst und Convent treffen Anordnung wegen der Feier des Jahresgedächtnisses der verstorh. Mechthildis von Leipzig in der Afrakirche. Vgl. No. 188.*

Nos Conradus dei gratia praepositus, W. prior totusque conventus canonicorum regularium ecclesiae sanctae Aefrae in Misne omnibus hanc cartulam inspecturis gaudii in Christo sempiterni optabile repromissum. Recognoscimus publice protestando, quod de communi consensu capituli nostri ob intuitum sincerae karitatis, qua circa nos dilecta deo Mechthildis de Lipz quondam soror nostra movebatur affectu videlicet et effectum, creatoris omnium nutu de hoc exilio vocata aerumpnoso ad patriam opulentam, custodi nostrae ecclesiae quatuor solidos annui census Vribergensium denariorum in villa Quaskwitz pro altera dimidia marca eiusdem argenti et ponderis vendidimus iusto venditionis et emptionis utrobique titulo mediante. Quicumque autem fuerit custos pro tempore, dictae matronae votum perficiet sic formatum, in anniversario eius vigilia Thomae pro missa defunctorum et vigiliis magnis, pro consolatione conventus praedictos quatuor solidos ministrabit. Sciendum vero quod hi quatuor solidi superstites fuerunt illius talenti, quod eadem soror pro octo marcis ibidem in Quaskewitz pro tribus missis perpetuis conventui comparavit. Et ut haec omnia firmiter observentur, sigillo nostro et capituli nostri fecimus roborari. Acta sunt haec anno domini millesimo CCC° VI° IX° kal. Marcii.

Nach dem Chartul. monast. s. Aefrae I. fol. 6<sup>b</sup>. II. fol. 25<sup>b</sup>. 145<sup>b</sup>.

<sup>1)</sup> Eine das Afrastift betreffende Urkunde vom 10. Juni 1305, wonach dasselbe vom B. Albert 5 Hufen in Stenz käuflich erwarb, ist Bd. I. no. 339 bereits abgedruckt worden.

No. 192. 1306. 30. Mai.

*B. Albert III. ertheilt denen, welche bussfertig zum Bau der Afrakirche einen Beitrag geben, 40 Tage Ablass und bestätigt die dieser Kirche von 30 Bischöfen bereits verliehenen Indulgenzen.*

Nos Albertus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Cristi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Dignum deo nos credimus exhibere obsequium si devotos Christianae fidei professores indulgentiis et remis-